

piens alia nuntiantibus sensibus, et interrogans alia mecum commixta sentiens, ipsosque nuntios dignoscens atque dinumerans, jamque in memoria elatis opibus alia pertractans, alia recondens, alia eruens: nec ego ipse, cum haec agerem, id est, vis mea, qua id agebam; nec ipse eras tu, quia lux es tu permanens, quam de omnibus consulebam, an essent, quid essent, quanti pendenda essent. Et audiebam docentem ac jubentem; et saepe istud facio. Hoc me delectat, et ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio. Neque in his omnibus, quae percurro consulens te, invenio tutum locum animae meae, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in adfectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quae si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in haec aerumnosis ponderibus, et resorbeor solitis, et teneor, et multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna est (al. degravat). Hic esse valeo nec volo; illic volo, nec valeo; miser utrobique.

CAPUT XLI. TRIPlici CUPIDITATE VICTA AD SALUTEM PERVENIT.

Ideoque consideravi languores peccatorum meorum in cupiditate triplici; et dexteram tuam invocavi ad salutem meam. Vidi enim splendorem tuum corde saucio, et percussus dixi: Quis illuc potest? Projectus sum a facie oculorum tuorum. Tu es veritas super omnia praesidens; at ego per avaritiam meam non amittere te volui, sed volui tecum possidere mendacium; sicut nemo vult ita falsum dicere, ut nesciat ipse, quid verum sit. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri.

CAPUT XLII. QUa RATIONE MULTI QUAEVIERINT MEDIATOREM.

Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi? Ambien-
dum mihi fuit ad angelos? Qua prece? Quibus sacramentis?